



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Articulus V. vtrum sit facta aliqua vnio animæ & corporis in Christo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

Responsio.

Spondetur, totum vno modo sumi, ut dicit relatio. A
nem ad partes, & sic Christus, ut constans ex huma-
nitate & diuinitate non est aliquid totum, quamuis
ut homo possit dici totum, in quantum constat ex
partibus essentialibus, vel integralibus humanitatis.
Alio modo dicitur totum, id est, quid completum,
& perfectum, quo modo Damascen. lib. 3. de fide ca.
7. inter totum & perfectum non distinguit, & sic
Christus est quoddam totum perfectum sine rela-
tione ad partes, neque humanitas potest proprie di-
cipari, sed est vna integra natura huius compositi,
altera vero est diuinitas: & utraque appellari potest
vere componens Christum, ut Patres loquuntur, &
infra explicabo, nam componens latius patet, quam
pars, & non includit eas imperfectiones, quas no-
men partis indicat, ut declaratum est, & latius in di-
sputatione dicetur.

Obiectio.

d Tercium argumentum D. Thom. est, omne co-
positum est homogeneum ex componentibus, sed in
Christo duae naturae componunt, ergo compositum
erit aliqua natura, non persona. Respondet negan-
do maiorem, homo enim componitur ex anima &
corpore, & tamen neque est anima, neque corpus.
Sed potest vrgeri argumentum, quia saltem ex na-
turis non videtur posse componi nisi natura, quia
naturae, ut sic, nihil dicunt quod pertineat ad con-
stitutionem personae, sed hic naturae sunt, quae com-
ponunt, ergo. Hoc argumentum propono ad expli-
candam amplius illam minorem, & hanc compo-
sitionem. Aduertendum est enim proximè ac for-
maliter non esse factam compositionem hanc ex v-
na natura cum alia: sed ex subsistentia Verbi cum
humana natura, ut latius in disputationibus dice-
mus: quia vero ipsa subsistentia Verbi intimè ac sim-
plicissime in se includit naturam diuinam, conse-
quenter factum est, ut illae duae naturae manserint
coniunctae in illa subsistentia, & e contrario ut per-
sona Verbi ex duabus naturis composita permanse-
rit. Hinc ergo ad argumentum respondetur distin-
guendo maiorem, quando enim duae naturae inter
se, & vna cum alia proximè vniuntur ad quidpiam
constituendum: tunc verum est proximè ac forma-
liter ex eis componi naturam, ut patet in compo-
sitione humanitatis ex anima & corpore: hoc autem
modo nunquam vniuntur perfectae naturae, & ided
Christus non hoc modo componitur ex duabus natu-
ris: sed verò quando duae naturae vniuntur in vna
subsistentia, tunc non est necesse, ut ex eis resultet v-
na natura, sed vna persona. Sed potest quis retor-
quere argumentum: quia quando compositio non
est ex homogeneis, nunquam terminus compositio-
nis est eiusdem rationis cum altero componendum,
ut patet in dicto exemplo de humanitate compo-
sita ex corpore & anima, & idem est in omnibus simi-
libus, sed in hac compositione proxima componen-
tia sunt persona Verbi, & natura humana, quae non
sunt homogeneae, ut constat, ergo, terminus resul-
tans non erit persona. Respondetur negando maio-
rem, & falsa ostenditur in compositione ex linea, &
punctis, & similibus. Solum ergo sequitur personam
non eodem modo venire in compositionem, & re-
sultare ex compositione: componit enim ut simplex,
& subsistens in sola natura diuina; resultat autem
composita, & in duplici natura subsistens.

Responsio.

Perfecta na-
tura nun-
quam vni-
tur ad con-
stitutionem
alterius.

ARTICVLVS V.

*Virum sit facta aliqua unio anime & corporis in
Christo.*

II.
Inf. q. 16. ar.
1. c. Et 3. d. 6.
q. 3. a. 1. Et 4.
cont. 37. c.



D quantum sic proceditur. Videtur, quod in
Christo non fuerit unio anime & corporis. Ex
vniione enim anime & corporis in nobis cau-
satur persona vel hypostasis hominis. Si ergo a-

nima & corpus fuerunt in Christo vnita, sequitur quod fue-
rit ex vniione eorum aliqua hypostasis constituta; non autem
hypostasis Verbi Dei, quae est aeterna. Ergo in Christo erit ali-
qua persona vel hypostasis prater hypostasim Verbi: quod est
contrapredicatum.

2. Praterea, ex vniione anime & corporis constituitur na-
tura humana speciei. Damascenus autem dicit in 3. lib. 4.
quod in Domino Iesu Christo non est communem speciem ac-
cipere. Ergo in eo non est facta anima & corporis vniio.
3. Praterea, anima non coniungitur corpori, nisi ut viu-
ficet ipsum: sed corpus Christi poterat viuificari ab ipso Ver-
bo Dei, quod est fons & principium vitae: Ergo in Christo non
fuit vniio anime & corporis.

Sed contra est, quod corpus non dicitur animatum nisi ex
vniione anime: Sed corpus Christi dicitur animatum: secun-
dum illud quod Ecclesia * cantat, Animatum corpus sumens,
de Virgine na * ci dignatus est. Ergo in Christo fuit vniio anime
& corporis.

Respondet dicendum quod Christus dicitur homo vniocē
cum aliis hominibus, ut potē eiusdem speciei existens: secun-
dum illud Apostoli Philip. 2. In similitudinem hominum fa-
ctus. Pertinet autem ad rationem speciei humanae, quod ani-
ma corpori vniatur, non enim forma constituit speciem, nisi
per hoc quod sit actus materiae, & hoc est, ad quod generatio
terminatur, per quam natura speciem intendit. Vnde necesse
est dicere, quod in Christo fuerit anima co poris vnita, & con-
trarium est hereticum: ut pote derogans veritati humanitatis
Christi.

Ad primum ergo dicendum, quod ex hac ratione moti vi-
dentur illi, qui negauerunt vniionem anime & corporis in
Christo: ne per hoc scilicet cogerentur personam nouam, vel
hypostasim in Christo inducere: quia videbant, quod in puris
hominibus ex vniione anime ad corpus constituitur persona.
Sed hoc ideo in puris hominibus accidit: quia anima & cor-
pus sic in eis coniunguntur, ut per se existant. Sed in Christo
vniuntur ad inuicem, ut adiuncta alteri principali, quod
subsistit in natura ex eis composita: & propter hoc ex v-
niione anime, & corporis in Christo non constituitur noua
hypostasis, seu persona, sed aduenit ipsum coniunctum per-
sonae, seu hypostasi praexistenti. Nec propter hoc sequi-
tur, quod sit minoris efficaciae vniio anime & corporis
in Christo, quam in nobis: quia ipsa coniunctio ad no-
bilius non adimit virtutem, aut dignitatem, sed au-
get: sicut anima sensitiua in animalibus constituit spe-
ciem, quia consideratur ut vltima forma, non autem
in hominibus, quamuis in nobis sit virtuosior & nobilior:
& hoc propter adiunctionem vltioris & nobilioris per-
fectionis, scilicet anime rationalis, ut etiam supra dictum
est.

Ad secundum dicendum, quod verbum Damasc. 4. po-
test intelligi dupliciter. Vno modo, ut referatur ad huma-
nam naturam: quae quidem non habet rationem communis
speciei, secundum quod est in vno solo individuo: sed secun-
dum quod est abstracta ab omni individuo, prout in nuda
contemplatione consideratur: vel secundum quod est in om-
nibus indiuiduis. Filius autem Dei non assumpsit humanam
naturam, prout est in sola consideratione intellectus, quia
sic non assumpsisset ipsam rem humana natura: nisi forte di-
ceretur, quod humana natura est quaedam idea separata: sic
ut Platonici * posuerunt hominem sine materia: sed tunc si-

lus Dei non assumpsisset carnem: contra illud quod dicitur Arist. 1. met.
Luca vltimo. Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me vi-
deris habere. Similiter etiam non potest diui, quod filius Dei
assumpsit humanam naturam, prout est in omnibus indi-
uiduis eiusdem speciei: quia sic omnes homines assumpsisset.
Relinquitur ergo, ut Damascen. * postea dicit in eodem libro,
quod assumpsit naturam humanam in atomo, id est, in in-
diuiduo: non quidem in alio indiuiduo, quod sit suppositum, vel
hyposta-

Art. 2. huius
q. ad 2. Citi-
um in arg.

ut patet in
v. 1. met.
Luca 6. & 15.
per multos
centos.

Lib. 3. c. 11.

Lib. 6. tit. 1. in modis. hypostasis illius naturae, quam in persona filij Dei. Alio modo potest intelligi dictum Damascen. * ut non referatur ad naturam humanam, quasi ex vitione animae & corporis non resisteret vna communis naturae, quae est humana: sed est referendum ad vitionem duarum naturarum; diuinae scilicet & humanae, ex quibus non componitur aliquid tertium, quod sit quadam natura communis: quia sic illud esset natum pradicari de pluribus: & hoc ibi intendit. Vnde subdit: Neque enim generatus est, neque vnquam generabitur alius Christus, ex Deitate & humanitate, in deitate & humanitate Deus perfectus, idem & homo perfectus.

Lib. 1. tit. 1. in modis. Ad tertium dicendum, quod duplex est principium vitae corporalis. Vnum quidem effectuum: & hoc modo Verbum Dei est principium omnis vitae. Alio modo est aliquid principium vitae formaliter: cum enim viuere viuentibus sit esse (ut dicit Philosophus 2. de anima) sicut vnumquodque formaliter est per formam suam: ita corpus viuunt per animam & hoc modo non ponitur corpus viuere per Verbum, quod non potest esse corporis forma.

COMMENTARIUS.

Mag. dist. 6. **I**tem Articulus videtur preter ordinem hoc loco insertus, potius enim spectabat ad qu. 4. & 5. vbi de veritate assumptae humanitatis tractandum est, hoc enim vno animae cum corpore ad veritatem humanitatis ipsius maxime pertinet. Ibi etiam disputat D. Tho. an in Christo vera anima fuerit, verumque corpus: non poterat ergo iuxta ordinatam methodum definiiri, has partes, in illo conuenisse, nisi extitisset quidem in eodem primū ostenderetur. Prius enim est esse quam vniiri. Igitur D. Tho. solum quasi oblata occasione hoc loco mouit questionem hanc: tum, quia de compositione personae Christi disputabat, ad quam explicandam haec compositio animae & corporis pertinere videbatur: tum etiam, quia Magister dist. 6. dum ageret de modo vniionis ipsius, inter alias sententias refert illam, quae vti in Christo vnitatem personae saluaret, ex anima, & corpore compositionem negabat, quam non vti haesim, sed vti opinionem Magister retulit: quare arrepta occasione D. Tho. & discuit opinionem hanc, & illam opinionem, sed haesim vocat, ut fuit re vera etiam Magistri temporibus, quidquid ibidem Scot. existimet, qu. 3. ut potest cum veritate incarnationis prorsus euerteret: quod euidenter D. Tho. ostendit in articulo, cuius littera clarissima est. Solutiones etiam argumentorum eandem doctrinam continent, quae inter soluenda argumenta articuli secundi, & tertij data est, & ideo circa hanc litteram non oportet amplius immorari. De re autem ipsa dicemus infra disputatione tertia: sed locus Damasceni, qui à D. Tho. tractatur in argumento secundo, cum solutione, sufficienter expositus supra est art. 1. quae verò Caiet. notat necessaria non arbitror. Denique de illa questione, quam hic etiam D. Th. definit, Christum scilicet esse vniocē hominem nobiscum, dicemus q. 16.

ARTICVLVS VI.

Art. 1. tit. 1. in modis. An natura humana fuerit vnita Verbo Dei accidentaliter.

Fr. Suarez. Tom. 1. **S**extum sic proceditur. Videtur quod humana natura fuerit vnita Verbo Dei accidentaliter. Dicit enim Apostolus Philippens. 2. de filio Dei, quod habitu inuentus est ut homo: Sed habitus accidentaliter aduenit ei, cuius est: siue accipiat habitus, prout est vnum

A de decem pradicamentis, siue prout est species qualitatis. Ergo humana natura accidentaliter vnita est filio Dei.

2. Præterea, Omne quod aduenit alicui post esse completum, aduenit ei accidentaliter: hoc enim dicimus accidens, quod potest, & adesse, & abesse alicui præter subiecti corruptionem. Sed natura humana aduenit ex tempore filio Dei, habenti esse perfectum ab eterno. Ergo aduenit ei accidentaliter.

3. Præterea, Quicquid non pertinet ad naturam, seu essentiam alicuius rei, est accidens eius: quia omne quod est, aut est substantia, aut accidens: Sed humana natura non pertinet ad essentiam, vel naturam diuinam filij Dei: quia non est facta vnio in natura, ut supra dictum est: * Ergo oportet, quod natura humana accidentaliter filio Dei aduenierit.

4. Præterea, Instrumentum accidentaliter aduenit: Sed humana natura in Christo fuit diuinitatis instrumentum. Dicit enim Damascen. * in tertio libro: quod caro Christi instrumentum diuinitatis existit. Ergo videtur, quod humana natura fuerit filio Dei vnita accidentaliter.

Sed contra est, quod illud, quod accidentaliter pradicatur, non pradicat quid, sed quantum vel quale, vel aliquo alio modo se habens. Si ergo humana natura accidentaliter adueniret, cum dicitur, Christus est homo, non pradicaretur quid: sed quale, aut quantum, aut aliquo alio modo se habens. Quod est contra decretalem Alexandri Papa dicentis. Cum Christus sit perfectus Deus, & perfectus homo, quia temeritate audent quidam dicere, quod Christus secundum quod est homo, non est quid.

Respondendo dicendum, quod ad huius questionis evidentiam sciendum est, quod circa mysterium vniionis duarum naturarum in Christo, duplex heresis infurrexit: sicut Eutychetis & Dioscori, qui posuerunt, quod ex duabus naturis est constituta vna natura, ita quod constitueretur, Christum esse ex duabus naturis, quasi ante vniionem distinctis: non autem in duabus naturis, quasi post vniionem, naturarum distinctione cessante.

Alia verò fuit heresis Nestorij, & Theodori Mopsuesteni, separantium personas: posuerunt enim aliam esse personam filij Dei, & filij hominis, quas dicebant sibi inuicem esse vnitas. Primum quidem secundum habitationem: in quantum scilicet Verbum Dei habitauit in illo homine, sicut in templo. Secundum per vnitatem affectus, quantum scilicet voluntas illius hominis est semper conformis voluntati Verbi Dei. Tercio secundum operationem: prout scilicet dicebant hominem illum esse Verbi Dei instrumentum. Quarto secundum dignitatem honoris, prout omnis honor, qui exhibetur filio Dei, coexhibetur filio hominis propter coniunctionem ad filium Dei. Quinto secundum equiuocationem, id est communicationem nominum: prout scilicet dicimus, illum hominem esse Deum, & filium Dei. Manifestum est autem, istos omnes modos accidentalem vniionem importare. Quidam autem posteriores magistri, putantes se has hereses declinare, in eas per ignorantiam inciderunt. Quidam enim eorum concesserunt vnam Christi personam: sed posuerunt duas hypostasies, siue duo supposita, dicentes, hominem quendam compositum ex corpore & anima à principio sue conceptionis, esse assumptum à Dei Verbo. Et hac est prima opinio quam Magister ponit in 6. distinct. tertij libri Sententiarum. Alij verò volentes seruare vnitatem persone, posuerunt Christi animam non esse corpori vnitam: sed hac duo separata ab inuicem, esse vnita Verbo accidentaliter; ut sic non cresceret numerus personarum. Et hac est tertia opinio, quam Magister ibidem * ponit. Vtraque autem harum opinionum incidit in heresim Nestorij. Prima in 1. & 2. quidem: quia idem est ponere duas hypostasies, vel duo supposita in Christo, quod ponere duas personas, ut supra dictum est. Et si fiat vis in nomine persona, considerandum est, quod

Art. 1. tit. 1. in modis.

Lib. 3. or. 1. dist. 6. 13. post. mo.

Dist. 6. §. 2. lib. 3. Sent.

In 1. d. 1. & 2.